

An hic pulvis solvit acrimoniam in minimis vasciculis circa tendines & ossa hærentem , ea obstruentem , producentemque dolores articulorum atrocissimos ? an eandem solutam ad corporis peripheriam propellit ? bini hiscasus videntur id docere.

EXPERIMENTUM III.

JUvenis , novendecim annor . in tertium annum febre quartana laboravit.

Febris hæc adeo erat pertinax , ut nulli medicamento obedierit.

Cortex peruvianus magna dosi & diu datus mitigavit quidem paroxysmorum vehementiam , eos vero penitus compescere non potuit.

Et

Et quamprimum æger a corticis
usu cessavit, denuo increverunt febris
exacerbationes.

Corpus siebat macilentum & cache-
&icum, durante febre membra omnia,
& omnes articulos, & spinam dorsi do-
lor vehemens, dilacerans, & circa
extrema urens occupavit.

Dedi huic ægro pulveris de extra-
cto aconiti mane grana decem, & to-
tidem vesperi.

Primo die ter inde purgabatur, &
die secundo quater.

Febris paroxysmus tertio die fuit
longe mitior, vix ulli advertebantur
dolores, sub fine tamen æger copiosissi-
mo sudore maduit.

Vires inde diminutæ non sunt.

Tertio , quarto , & quinto die alvus adhuc aliquoties movebatur citra virium prostrationem , imo æger se inde levari ajebat.

Sexto die levissima tantum horripilatio , vagus & brevis calor observabantur , & his mox supervenit copiosissimus sudor.

Septimo die alvi fluxus desit , & prodierunt fæces compactæ.

Idem contigit nono die , rediit & tunc appetitus , noctes siebant tranquillæ , & somnus vires restauravit.

Nono die levis tantum sudor , volansque per membra calor ægrum pervadebant ; cæteroquin bene se habuit.

Post nonum diem nulla prorsus manifesta evacuatio , aut per urinam , aut alvum aut sudorem contigit.

Da-

Dabatur adhuc pulvis in eadem dosi per tres septimanas, & hoc tempore æger perfecte sanabatur.

Jam bini menses elapsi sunt, & non rediit febris.

Fecit igitur *Aconitum*, quod nec cortex peruvianus, nec aliud remedium potuit efficere.

EXPERIMENTUM IV.

Virgo, viginti aliquot annorum, jam in quintum annum habet tumorem tactu vere osseum, qui vix non totam sinistram faciem occupat.

Immobilis est, & jurares, eum ex ipsis ossibus excrevisse.

Sub maxilla inferiore multæ glandulæ quoque tumebant, & erant scirrhosæ.